



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Casus XIII. De acceptione personarum, collatione, & venditione Officiorum  
Sæcularium publicorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

## CASUS XIII.

*De acceptione personarum, collatione, & venditione  
Officiorum Sæcularium publicorum.*

**M**agistratus Macedonianus in conferendis publicis Officiis sæcularibus sæpè promovet indignos, vel minùs dignos, & idoneos, relictis dignioribus, aut etiam dignissimis. Subinde ejusmodi Officia vendit emptoribus plus offerentibus, nulla habita ratione majoris dignitatis, & aptitudinis ad illa administranda: Unde

*QUÆR. I. An conferentes Officia publica secularia, si assumant indignos, vel minùs dignos, relictis dignioribus, aut dignissimis, peccent mortaliter & ad restitutionem teneantur?*

*QUÆR. II. An hujusmodi Officia publica secularia licitè vendi possint?*

*QUÆR. III. Quibus in casibus locum habeat acceptio personarum?*

82 **A**D I. Q. R. I. eos, qui indignum eligunt ad Officia sæcularia majoris momenti, ex quibus multùm pendet Reipubl. bonum, uti sunt Officium Gubernatoris oppidi, Prætoris, Judicis, Consiliiarii, Commissarii Capitanei, Quæstoris &c. per se peccare graviter, & teneri Reipubl. refarcire damna inde secuta. Ita communis DD. teste Less. l. 2. cap. 32. dub. 3. Lug. D. 34. §. 2. Valentia D. 5. q. 7. pun. 2. §. 6. Sot. l. 4. de just. q. 6. a. 2.

Ratio est, I. quia Officiorum

Collatores, ut sunt Principes, Gubernatores &c. ex debito sui Officii tenentur ex justitia procurare Reipublicæ Ministros idoneos, cùm ratione talis Officii stipendia, & tributa accipiant à populo, sicut Oeconomus, cui gubernatio domùs commissa est, tenetur ex Officio, atque adeò ex justitia conducere famulos, & operarios idoneos. Idem est, si hujusmodi Officia ex commissione conferantur; quia qui ex commissione aliquid facit, non minùs tenetur, quàm qui commissionem dedit, nam hoc ipso, quòd commissionem, seu mandatum



tum acceptet, se ipsum obligat ad illud ritè exequendum.

Conf. Principes, & Gubernatores tenentur ex justitia Rempubli- cam rectè administrare, & quan- tum commodè possunt, ejus dama- na impedire: hoc autem facere non possunt, nisi ejusmodi Officia conferantur idoneis ministris, & Officialibus, cum pleraque per ta- les ministros abeunda sint, & exe- cutioni mandanda: ergo si indig- nos præficiant communitati, pec- cant contra justitiam, & tenentur refarcire damna, quæ inde patitur Communitas, aut Respublica; qui enim causam damni dat, damnum fecisse censetur, *cap. ult. de injuriis.*

R. 2. Si Collator, omissis aptio- ribus, & dignioribus Officium con- ferat minus dignis, minusque ido- neis per se peccat quidem graviter, non tamen tenetur ad restitutio- nem, siquidem tales verè digni sint, & idonei. Ita Sotus *q. 6. t. Solon. q. 63. a. 2.* Less. *l. c.* Valentia *l. c.* Eman. *Sà V. electio.* Turrian. *D. 28.* Dian. Sylv. Petr. Arragon. Malder. Rebell. Reginald. Villalob. aliique. Quòd peccet, ratio est,

1. Quia injuriam quamdam fa- cit digniori præferendo ei minus dignum; qui enim aptior est, ma- jus jus habet; hoc ipso enim, quòd eligendus sit Officialis ex tali Com- munitate, jam Communitas & par- tes illius habent jus aliquod ad il-  
R. P. Leonardelli Soc. Jesu,

lud officium, tanquam bonum commune juxta merita singulo- rum distribuendum; hæc tamen injuria est duntaxat contra justitiam distributivam, cujus jus con- sistit solùm in majore aptitudine, & proportionem ad bonum distri- buendum; non verò contra justitiam commutativam, quæ sola ob- ligationem restitutionis inducit, & populus, quando ministrum habet idoneum, non confert invito ra- tionabiliter stipendia, siquidem ea meritò dignis ministris conferun- tur.

2. Quia constituendo ministros minus idoneos, quando aptiores non desunt, collator facit contra fidelitatem, quam debet Reipubl.; tenetur enim saltem ex fidelitate procurare ministros quàm maximè idoneos, si potest, sicut Oeconomo, si fideliter officium suum præ- stare velit, tenetur conducere o- perarios, & ministros aptiores Domino suo, & quàm maximè ido- neos, quantum commodè potest: Unde sicut hic graviter peccaret contra fidelitatem Domino suo de- bitam, si in conducendis operariis solùm spectaret, ut pro suo affectu, ac favore suos amicos, & notos promoveret relictis aliis, qui longè plus prodesse Domino suo; ita graviter peccant collatores, qui ad officia Reipublice duntaxat promovent, qui Sanguine, & amicitia ipsis juncti sunt, vel munera obtule- runt, & privatis ipsorum intentio- nibus  
M



nibus melius delerviunt, relictis aliis longè aptioribus, sicque præferentes commoda privata utilitati communi contra fidem Reipubl. datam.

Accedit, quòd plerumque graves nascantur offensiones & alienationes subditorum à Superioribus ob ejusmodi officiorum collationes, quæ interdum multorum sunt causa malorum, quæ ex officiis malè administratis per sæpè oriuntur. Demum nisi in conferendis hujusmodi officiis summa cura adhibeatur, sensim Reipubl. implebitur ministris inidoneis, politicis, ambiciosi, avaris, qui sua, & suos duntaxat curent, & promoveant, commune bonum negligant, omnia ad privatas suas intentiones dirigant, ipsùmque jus, & fas, justitiam, & Religionem aurò venalem habeant; ex quibus nihil aliud, quàm justitiæ, & Reipubl. eversio expectari possit, ut notat citt. Less. cum aliis.

R. 3. quando officium conferatur indigno, prætermisso digno, vel digno; præterito digniore, collator non tenetur aliquid restituere digno, vel digniori prætermisso. Ita cum citt. DD. Covar. hinc part. 2. §. 7. n. 6. Navarr. man. cap. 17. n. 73. Adrian. in 4. de restit. q. 15. aliique. Ratio est, quia Superior ita conferens officium non peccat contra justitiam commutativam respectu prætermissorum, sed solùm contra justitiam distributivam, quæ non

inducit obligationem restitutionis; dignus enim, vel dignior, antequam ei Officium collatum sit, non habet jus ad ipsùm, neque in re, hoc est, quasi possideat illud; neque ad rem, quasi possit Collatorem in judicium vocare, ut ei Officium conferat; ut adeò nulla hinc detur obligatio justitiæ commutativæ, ac proin nec obligatio restitutionis, saltem extra concursum.

Ad 2. Q. an hujusmodi Officia publica sæcularia vendi possint? 84  
Negativè respondent Medina de rest. q. 4. de usur. Adrianus in 4. q. de usur. §. ex his Less. cap. 32. dub. 4. Turrianus in 2. 2. tom. 2. D. 23. dub. 2. Angles quia ex voluntate Reipubl. talia Officia distribuenda sunt dignioribus, qui magis, meliusque bonum publicum promovere possunt. Sed

Dicendum est, etsi per se loquendo, & spectata natura rei possint ea vendi; quia hujusmodi Officia, cum non sint res spirituales, sed humanæ, & pretio æstimabiles, non est, cur per se vendi non possint; hinc videmus Barones, Comites, & Duces vendere suos titulos, status &c. ut probat consuetudo; Nilominus non expedire ea vendere, eorumque venditionem plerumque illicitam esse, & perniciosam; Ita Cajetanus v. officiorum venalitas. Sotus l. 3. q. 6. a. 4. Tanner. D. 4. de justit. q. 8. dub. 2. Diana part. 3. miscell. tr. 5. R. 108. aliique commu-  
niter



niter cum, & apud Less. *citr. cap. 32. dub. 4.* Ratio est 1. Quia hac ratione ut plurimum talia officia indignis, vel minus aptis conferuntur, qui pecuniis suppleant, quod meritis deest. 2. Quia ex tali venditione homines magis provocantur ad studium acquirendarum pecuniarum, quibus vident, se facile ejusmodi officia, & dignitates consequi posse, quam ad studium litterarum, probitatis, & bonarum disciplinarum, quarum nullam haberi rationem advertunt. 3. Quia qui hæc officia emunt, non administrant ea, sicut deberent, & bonum Reipublicæ postulat, sed ut recuperent pretium, quod solverunt, multa injustè extorquent, justitiam venalem habent, favent divitibus, & potentioribus, & causas pauperum negligunt: Quare hanc venditionem Reipublicæ pestem appellant DD. & hinc rectè à jure prohibetur *collat. 2. tit. ut Judices sine quo suffragio fiant, cap. 1.* ubi præcipitur, ut personæ, quibus conferuntur officia publica, pro iis nihil solvant.

Porrò vendere ejusmodi officia non est ita malum, ut eorum venditio concurrentibus certis circumstantiis, & conditionibus honestari, & licita fieri non possit, videlicet 1. si sit auctoritas in vendente, & vendantur digniori, quantum fieri potest, utpote quæ per se dignioribus sunt conferenda. 2. Ut pretio moderato vendantur, ne scilicet occasio emptori præbeatur

multa iniquè extorquendi ad recuperandum pretium à se persolutum, uti fieri assolet. 3. Ut id fiat ob Reipublicæ necessitatem, vel utilitatem; quia hæc officia non sunt bona Principis, vel alterius Collatoris propria, ut tributa, sed Reipublicæ communia, quorum administrationem, & collationem commisit Principi causa communis utilitatis, cum id communi bono expediens videtur, ut si v. g. summa ad hunc finem esset constanda, quæ aliter commodè haberi non posset.

Ad 3. Q. Præmittendum, 1. Acceptionem personarum peccatum esse ex genere suo mortale, ut ex communi docet S. Tom. *q. 63. a. 1.* utpote quæ vitium est contrarium justitiæ distributiæ, exigenti, ut bona communia secundum proportionem dignitatis distribuantur, uti patet etiam ex Eccl. 42. v. 1. *Ne accipias personam, ut delinquas,* & Jacob 2. v. 9. *si autem personam accipitis, peccatum operamini.*

Secundò, acceptionem personarum non habere locum in mera gratuita bonorum distributione, ut docet communis cum S. Th. l. c. & constat ex illo Matth. 20. v. 13. & 15. *Amice non facio tibi injuriam &c. & aut non licet mihi, quod volo, facere?* & ratio ulterior est, quia acceptio personarum, cum sit vitium justitiæ oppositum, solum habet locum in bonis ex justitia debitis. His præmissis.

M 2

R. Per-



35 R. Personarum acceptio locum habet. *Primò*, in distributione bonorum spiritualium, seu in Beneficiorum Ecclesiasticorum collatione, electione, & præsentatione ad illa; hæc enim Beneficia jure naturali, ac positivo debent conferri dignioribus, hoc est qui optimè putantur officio functuri: Unde si amicitia, consanguinitas, aut aliud quidpiam simile nihil ad officium pertinens in electione, præsentatione, aut collatione spectetur, ommissis dignioribus, comittitur vitium acceptionis personarum, ut cum aliis notat S. Th. l. c. 4. 2. *Secundò*, locum habet in conferendis officiis sæcularibus, ut cum aliis notat Cajetan. v. *personarum acceptio*, & colligitur ex dictis; nam ejusmodi officia non sunt bona propria Principis, sicut tributa, sed communia Reipubl. in hujus commodum instituta, quæ illa committit Principi administranda, & conferenda communis utilitatis causa, ut dictum est supra.

*Tertiò*, locum habet in judiciis, quatenus debita in iis forma, ac proportio non servatur, dum Judex partibus jus dicit, ut docet cum aliis S. Th. l. c. & patet ex illo Levit. 19. *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis, justè judica proximo tuo.* & Prov. 18. *accipere personam in judicio, non est bonum.* Et ratio est, quia, etsi jus dicere sit actus justitiæ commutati-

væ, quatenus ex officio est debitum; attamen quatenus fit inter duos, habet modum, seu formam quamdam justitiæ distributiæ; jus enim, si consideretur ut in *potentia*, est suo modo bonum commune indifferenter per Judicem huic vel illi digno applicandum, vel ut loquitur Cajetan. distribuendum partibus, sive id oriatur ex commutatione, sive ex distributione: Unde si Judex in dicendo, & distribuendo hoc jure aliquid respiciat præter causarum merita, comittit hoc vitium acceptionis personarum, idque ut notat Less. non solum quando Judex in ferenda sententiâ considerat personam potius quam æquitatem causæ, sed etiam quando causas pauperum differt, & extrahit in longum; causas verò divitum citò expedit & terminat, vel etiam quando pro sua libidine, & gratificandi studio uni concedit longiorem terminum ad probandum, vel informandum, quam alteri, cum tamen par sit utriusque ratio.

*Quartò*, locum habet in exhibendo honore aliis debito, ut notat cum aliis S. Th. l. c. 4. 3. ut si in publico confesso, capitulo, mensa, &c. non assignetur alicui locus, qui ei ratione scientiæ; eruditionis, vel gradûs debetur, siquidem id fiat dolo, vel lata culpa, alioquin non censetur injuria.

CASUS